



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 225. Vnum à dextris & alium à sinistris. v. 27.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

O Deus humilis & mitis ! quem nostrum non mordet si in conuiuio paulo humiliore loco sedere debet propter honoratiores se, quis in scholis non horret sedere in inferioribus scamnis ? quis in catalogis nominum, non auersatur inferiore loco etiam iure suo collocatus legi. Quis nostrum non agit Pompeium magnum, nolentem ferre parem ! quis non & Cæsarem, non valentem ferre priorem ! Ita Pompeios agimus & Cæsares, Christum agere, & representare, quis in animum inducit ? Ego vobis mortales præeo in confessione, agnosco culpam meam agnoscite & vestram, & vna glorificemus humilem Christum, illum honoremus, illi diuitias & honorem afferamus, ille meruit. Gaudere etiam latrones, gaudete Meretrices & quotquot estis peccatores, & gloriamini in hoc vestro Principe : is est nempe qui vos inuitauit, vos recepit, manducauit vobiscum & amicum se publicanorum effecit : non enim iustos sed peccatores venit vocare ad penitentiam : docturus nimirum meliorem vitam & ducturus ad vitam. Salue bone Iesu, pie ac gloriose latronum susceptor, salue agne mansuetissime luporum reconciliator, cum agnis. Salue fili David rex Israel verum refugium, verumque solatium omnium, qui in angustia sunt constituti, ære alieno pressi & amaro animo. En recipis omnes imo trahis ad te & alligas imo clauis affigis iuxta te, ne recedant à te. Salue.

§. 225. *Vnum à dextris & alium à sinistris. v. 27.*

Quare hoc ? vtrique propter mysterium, nam in hoc mundo omnes cum Domino crucifigimur & mortificamur totis diebus : sed non omnes à dextris domini. A dextris Christi crucifigitur qui per crucem huius sæculi non infatuatur, non sordescit, sed purgatur & efflorescit. Sed non omnes audiunt vel intelligunt hoc mysterium collocant se vel collocantur, ab alijs ad sinistram : ibi in sua cruce Deum blasphemant, ibi proximo maledicunt, ibi occidunt nocentes sibi sine sententia : ibi regna aliena inuadunt sine titulo vero : ibi fortunas proximi rapiunt : ibi commissa sibi negligunt, non commissa defendunt. Ecce duorum latronum mysterium magnum in omnium talium, crucifixorū pro suo merito personis, medius pendet Christus, illos vt sanctificet plus, hos vt corrigat in melius.

Domine Iesu, intelligo, quod sum reus mortis, sum filius latronis Adam & postea latrocinatus sum more & exemplo patris mei, captus sum, in carcerem è paradiso abstractus sum, ibi pœnas do. Sed ecce, colloco me ad dextram tuam, volo esse patiens, volo in patientia mori, nolo Deo irasci, quod velit Adæ posteros mori. Adiua me obsecro Domine Saluator meus in illa hora & fer mihi opem in lecto doloris mei.

§. 226.